quidquam propensum et ab ingratitudine alienum animum benevolentiâ tum demum vestrâ, reciprocique officii quodammodò dignum judicetis. Quo in Voto si me desinere patiere, Deum Optimum Maximum, ut te diu multumque una cum illustri familiâ sospitet supplex veneror. Vale Hagæ Com: XIV Cal: Febr: CIↃIↃCXIII.

Illustri Dominationi Tuæ
addictissimus. C. H.

M. Zuerio
Boxhornio.

(325)

Quod cum penè in procinctu essemus, Vir Amplissime fateor me, negotiis obrutum partim nequiisse, partim consultò distulisse, dum quotidiè ad vos excurrere, in eas dum destinarem, id serò nunc et seriò ago, gratias nimirum diu debitas pro insigni benevolentiâ ac humanitate, quâ te ~~mihi~~ inscribere mihi adegerunt eruditionis tuæ et magnis incrementis, supra se atque ætatem provectæ prudentiæ nobilissimum documentum. Omnis mihi ~~in~~ hoc in elogio posteritas consentiet, nisi quod adversum te peccasse judicaberis, qui a limine in præcepta tua impegeris, male mihi impensâ operâ, quam ubivis terrarum satius tutiusque collocasses. Occurret non nemo tamen, qui cum tutelâ scires non indigere, prudenter eò te contulisse intelliget, unde palam esset, illam neque aucupari posse. Utcunque ceciderit cum non erimus, Vir Doctissime, scito me, dum sumus non nescire, qui et quanti scio. in eo verò maximè ἀπορεῖν, quâ me expedire valeam magni multique nominis gravi nexu. Sufficit, si me amas, non infrequens argumentum, quo periculum facias, ecquid animi sententia verbis respondeat, quibus constanter asseror, esse me ac dum hic ero constantissimè futurum

Tibi addictissimum
C. H.

Summo amicorum illustri Heinsio
salutem summam.

Barlæo.
uno spiritu.

(326)

Si benè tornatos Incudi reddere versus
Non properas Barlæe, vel hoc mihi tradere pensum
Invalido mihi, forte paras viduo utque Poetæ
Nec pœnas dare ferro jubes, nec crimine læsæ
Majestatis agis, quâ læsa est Tessala molem;
Durior incude es, neque tandem dignus amator
Cujus ob ardorem tot in unâ sede morentur
Majestas et amor viduæ noctesque diesque.

Nobile